





9185.

1771, 38.

COMMENTATIONVM
 AD
 CONSTITVTIONES IVLIANI IMP.
 SPECIMEN I.



QVOD
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
 PRAESIDE
 CHRISTIANO GOTTLOB EINERTO
 IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
 DOCTORE

D. XI. APRIL. CIOIOCC LXXI.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET
 FRIDERICVS DAVIDES WENDLERVS
 TRIPTISA VARISCVS.



LIPSIAE,
 EX OFFICINA BREITKOPFIA.



COMMENTARIUM

CONSTITUTIONES JULIANI IMP.

SP. 1. 1. 1.

IN

CHRISTIANO CONSTITUTIONE

D. I. APRIL. 1717.

1717.

FRIBERG. 1717.



PRAEFATIO.



ulianus Imperator, qui per exiguum temporis spatium Romanum imperium obtinuit, et in ipso iuuentutis vigore immatura morte est extinctus, plura memoratu digna gessit, quam alii, qui a pueris potiti rerum in administranda Republica consenuerunt. Qui si pietatem et virtutem rerum gerendarum domi militiaeque nactus esset comites, nec eum in secundo rerum cursu felicitas et vita defecisset: Habermus utique principem, quem vel veteribus omnibus anteferre, vel saltem iis, qui vnquam praeclare factis, ingenio, moribus, fortitudine, prudentia, liberalitate, castitate, animo magno et vanarum rerum contemptore, virtutis atque honestatis laudem meruerunt, comparare possemus. Nam, cum natura in tribuendis animi dotibus ita sit parca atque tenax, vt admodum raro in eundem omnia collecta conferat, quae tanquam instrumenta ad immortalitatem nominis et ad praeclara facinora requirantur, vt, cui ingenium acre, perspicax et viuudum tribuat, ei aut animi fortitudinem audaciamque laudabilem, aut fortunae bona magnarumque rerum materiem, in quibus virtutes exercere et inclarescere possit, deneget: Euenit, vt alii domi nobiles, in bello aut partam antea gloriam rursus timitidate et fortunae iniquitate perdant, aut quia nihil, in quo eorum



virtus elucere possit, eis offertur, inter ignobilem et ignavam plebem obscuri, et inglorii, nulla relicta posteris de se memoria, vitam nomenque amittant, delitescant et atra aeternae obliuionis nocte obruantur atque opprimantur. At Iuliano aderant fere omnia, praeter verae religionis et pietatis studium. Ingenium summum, militarium ciuiliumque rerum scientia et vsus, robur corporis tractandorumque hominum sollertia. Praeterea ad tantum fastigium fortuna eum euexerat, tamque in conspicuo loco collocauerat, tantaque virtutis exercendae atque demonstrandae certamina ei proposuerat, vt, si minus illustraretur, non iam de fortunae malignitate, sed de ignauia sua conqueri deberet. Sed illum, virtutis tramite relicto, magnam ambitiosius, quam praeclaram famam affectantem, fortuna velut ingratum alumnum indignabunda in medio vitae cursu dereliquit et deseruit. Verum, ne sic quidem potuit prorsus manere obscurus, sed multa sunt, quae in bello et pace gessit: inter quae non vltimum locum sibi vindicant leges et constitutiones, quae et ab ipso, et ab aliis scriptoribus, litteris mandatae, ad nostra tempora peruenerunt. Ex illis igitur colligere et comparandis aliis scriptoribus explicare atque examinare institui- mus eas, quarum in eius scriptis facta est mentio, non inutilem prorsus laborem a nobis suscipi arbitantes, si eas, variis in locis dispersas, in vnum corpus redigeremus. Atque sic deinceps, quae de Christianis, Iudaeis, Gentilibus, singulis ciuitatibus et hominibus sanxit, exponemus. In quibus si non nunquam eum reprehendere coacti fuerimus, nemo nobis, opinamur, veritatis amans succensebit. Caeterum subinde ea, quae apud Iulianum late disputantur, quaeque ad consilium nostrum non pertinere putabamus, in summam et in formam legis redegimus, ne aut modum libellus excederet, aut rebus alienis lectoribus essemus molesti.

CA-



CAPVT I.

DE CHRISTIANIS.

§. I.

*De reuocandis in patriam Christianis eiectis
a Constantio.*

Τοῖς Γαλιλαίοις τοῖς Φυγαδευθεῖσιν ὑπὸ τοῦ μακα-
ρίτου Κωνσταντίου, κάδοδον εἰς τὰς αὐτῶν πατρίδας
συγχωρῆμεν.

GALILAEIS, EIECTIS A CONSTANTIO τῷ μακαρίτῳ
REDITVM IN IPSORVM PATRIAM CONCEDIMVS.

Huius constitutionis mentio fit a Iuliano Epist. XXVI.
p. 398. d. Epist. XXXI. p. 404. c. Epist. LII. p. 435. d. et
436. a. a Theodoreto H. E. L. III. c. 2. et Sozom. L. V. c. 5.

Τοῖς Γαλιλαίοις] Galilaeos tum alibi, tum hoc loco ap-
pellat Christianos, de quo videri possunt Sozom. L. V. c. 4.
Cyrillus contra Iulianum p. 39. b. c. et Gregor. Nazianz. edit.
Prunaei. p. 79. d. et p. 81. b. qui refert, hoc nomine Chri-
stianos non solum in contemptum ab ipso Iuliano esse dictos,
sed eum adeo lege iussisse, vt ab aliis ita appellarentur. Con-
temptus autem in eo videtur esse, quod eos, vt ait Grego-
rius, honestissimo et honorifico Christianorum nomine pri-
uauit, et a gente Galilaeorum, fortasse tum contempta, e
qua Christus et eius discipuli erant, appellauit. Vtique
enim nomen Christiani est valde gloriosum, siue *vnctum* id in-
terpreteris, siue *probum*. Nam religionis nostrae auctorem
a gentilibus etiam *Χρησόν* appellatum esse, tum ex aliis locis
patet, tum ex Iustini martyris apologia.



Κωνσταντίνου] Ep. XXVI. p. 398. d. varia est lectio Κωνσταντίνου. Haec comparandis aliis locis statim refutari potest. Nam Ep. XXXI. p. 404. b. vbi de eadem re est sermo, recte legitur Κωνσταντίνος, et Ep. LII. p. 436. a. pro nomine proprio Constantii adhibet periphrasim, eumque, qui Christianos eiecerat, appellat τὸν φθάσαντα πρὸ ἐμῆ τὴν ἀρχὴν ἐπιτροπεύσαι, h. e. eum, qui ante me imperium administravit.

Τοῖς Φυλακευθεσίαι] Ipse Iulianus latius, quinam fuerint eiecti a Constantio, docet Ep. LII. p. 436. συνέβη γὰρ κ. τ. λ.

Sed haec lex, quae speciem quidem honestissimam praese fert, et ingenium principis prodere mite et humanum et clemens videtur, reuera longe aliter est accipienda. Iulianus enim, hostis religionis Christianae, nihil aliud hac lege efficere volebat, quam restitutos in patriam dissentientes inter se Christianos committere, vt turbis in ecclesia obperuersas hominum et varias sententias ortis, facilius labefactaretur et tolleretur religio Christiana. Vi enim eam impugnare, nec satis tutum, nec vtile arbitrabatur, alienissimum autem a suo ingenio, quod artibus et fraudi plurimum tribuebat. Praeterea etiam Constantii, Imperatoris Christiani, qui illos eiecerat, memoriam et gloriam hac lege atque hac humanitatis specie apud ipsos Christianos crimine inhumanitatis et crudelitatis adspargere, sibi que alienatos ciuium animos adiungere volebat. Caeterum de tempore huius legis non satis constat, probabile tamen videtur, eam statim mortuo Constantio esse latam. Vbique enim de ea, vt de re dudum gesta, loquitur Iulianus. Nec huic de tempore coniecturae repugnat Baronius Annal. ad ann. 361.

§. 2.

*Christianos ab interpretatione scriptorum genti-
lium arcet.*

Προαγορεύομεν μὴ ἐξηγεῖσθαι τὰ τῶν Ἑλλήνων βιβλία τοῖς νέοις τὲς μὴ τὴν τῶν Ἑλλήνων θρησκείαν πρεσβεύοντας.

NE INTERPRETENTVR IVVENIBVS SCRIPTA GENTILIVM II, QVI RELIGIONEM GENTILEM NON AMPECTVNTVR, PROHIBEMVS.

Vid. Iuliani Epist. XLII. p. 422. seq. Ammian. Marcell. Lib. XXV. c. 4. Orosius p. 545. ed. Hauer. Socrat. L. III. c. 12. Theodoret. L. III. c. 4. Sozom. L. V. c. 18. Gregor. Nazianz. p. 51. a. et. 96. d. Baron. Annal. ad. ann. 362. no. 285. seq. Rufin. 1. 32.

Μὴ ἐξηγεῖσθαι] Ex scriptoribus modo laudatis errant Rufinus, Socrates, Theodoretus et Sozomenus, qui non tantum docendi, sed et discendi veniam hac lege Christianis plane ademptam scribunt. Nam Ammianus Marcellinus, cui summa est in hac re auctoritas, quique eum secutus est Orosius, docendi tantum libertatem hac lege sublatam docet. Et ipse Iulianus in epistola aperte suam mentem declarat, et hanc legem tantum contra doctores valere iubet: τοῖς μὲν καθηγεμόσι καὶ διδασκάλοις ἑποσι κοινὸς κείται νόμος. Ὁ βεβλόμενος γὰρ τῶν νέων φοιτᾶν ἐν ἀποκλείσει, h. e. DOCTORIBVS et PRÆCEPTORIBVS communis haec lex est. Iuuenem autem NULLVM a scholis arcemus. Cuius rei hanc reddit rationem: ἐδὲ γὰρ ἐδὲ εὐλογον, ἀγνοῶντας ἔτι τὲς παιδας ἐφ' ὃ, τι τρέπωνται, τῆς βελτίστης ἀποκλείειν οὐδὲ, φέω δὲ καὶ ἀκοντας ἀγειν ἐπὶ τὰ πάτρια, h. e. Neque enim rationi consentaneum, pueros adhuc ignaros, quo se vertant, ab optima

via

via retinere, et timore inuitosque ad patria instituta impellere. Putamus autem illos scriptores deceptos esse verbis Gregorii Nazianzeni, qui laudatis locis dubie et ambigue de hac re exponit. Nam p. 51. b. dicit Gregorius de Iuliano: τῶν λόγων ἡμῶς ἀπήλασεν, h. e. a litteris nos repulit. At hoc Gregorius, salua sententia nostra, potuit dicere. Vocabulum enim ἡμῶς ad se et ad alios doctores Christianos retulit. Nec obstat locus p. 96. d. vbi dicitur Iulianus τῶν λόγων ἀποσερῆσαι Χριστιανῶς, i. e. litteris priuasse Christianos. Si enim doctores a scriptorum interpretatione prohibuit, sane Christianos prohibuit. Nam illi doctores erant Christiani. Certe igitur ex verbis Gregorii non tuto colligitur, Iulianum etiam interdixisse lectionem scriptorum gentilium. De alia autem lege, quam postea dicitur tulisse, vel potius ferre potuisse, quae a quibusdam putatur praecepisse Christianis, ne discerent litteras, quia non amplius extat, nec ab iis, qui huic sententiae fauent, adiecta est, nihil certi statui potest. Videri tamen possunt ea, quae habet Pagius in Crit. Baron. ad ann. 362. n. 39.

Sed audiamus Iulianum, quibus rationibus impulsus hanc legem tulerit. Non decet, inquit, aliter sentire, atque aliter docere. Ergo Christiani se abstineant ab interpretatione eorum, quos de Diis, de religione, de honesto et iusto, maximique momenti rebus peruersè statuere iudicant. Absurdum praeterea explicari a Christianis scripta eorum, qui deos, quos illi maxima religione colunt, ludibrio habent, eosque acerbissime irrident. Itaque, aut eosdem colant, quos illi, aut omissa illorum interpretatione, ad explicandos Euangelistas se conuertant.

Leues sane rationes, et destitutas omni probabilitate attulit. Periculum igitur faciendum, num nobis alias reperire

rire contigerit. Nimirum ideo videtur Christianos ab interpretatione scriptorum gentilium repulisse et iuvenes ad gentilium doctores ablegasse, ut caueret, ne religio gentilis, quae in eorum scriptis continetur, a Christianis explicata, atque inter explicandum refutata vilesceret, sed doctorum argumentis et comprobatione firmata stabiliretur: aut, ut, si Christianorum liberi doctores gentiles accedere nollent, vel a parentibus retraherentur, sensim inscitia et litterarum ignorantia, Christianorum ingenia peruerteret et coecitate caligineque opprimeret.

§. 3.

Non iniuste quidem puniendos esse Christianos, proponendos tamen gentilis religionis cultoribus.

Οὐτε κλένεσθαι τὴν Γαλιλαίαν, ἔτε τύπτεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον, ἔτε ἄλλο τι πᾶχειν κακόν· προτιμᾶσθαι μέντοι τὴν θεοσεβείαν.

NEQVE OCCIDI, NEQVE CAEDI GALILAEOS INIUSTE, NEQVE ALIVD PATI MALVM: PRAEFERRI TAMEN EIS PIOS ERGA DEOS.

Vid. Iulian. Ep. VII. p. 376. Ep. XXIII. p. 390. a. τέρτες δὲ ἀδικίως κ.τ. λ. et Ep. LII. p. 438. a. b. Baron. ad ann. 361.

Huius legis duo esse capita per se apparet. Alterum praecipit, ne Christiani, quos, ut supra diximus, Galilaeos appellat, iniuste aliquid patiantur: Alterum, ut eis gentiles, quos in fraudem Christianorum θεοσεβείας vocat, praeferrantur. Eius legis apud neminem veterum, quod quidem scimus, praeter Iulianum fit mentio. Sed haec lex, quae, si eius caput primum consideres, honestissima et aequissima

B

vide-



videtur, aperte tamen summam Iuliani malitiam et odium in Christianos indicat, si legas caput alterum. Qua enim alia de causa gentiles appellauit θεοσεβῆς, quam, ut Christiani, cum illis collati, ob vnus Dei cultum, neglecta Daemonum religione, viderentur ἄθεοι et ἄσεβῆς; Deinde legis ratio, quam Iulianus commemorat, profecto non tam de eius humanitate, et aequitate testatur, sed de acerrimo odio erga Christianos. Scribit enim, se permotum ad hanc ferendam legem, non benevolentia et humanitate erga cives suos, qui erant Christiani, sed studio erga cives gentiles. Διὰ γὰρ τὴν Γαλιλαίων μαρίαν, ὀλίγος δὲν, ἅπαντα ἀνετραπή, διὰ δὲ τὴν τῶν Θεῶν εὐμένειαν σωζόμεθα πάντες. ὁδὲν χρεὶ τιμᾶν τὰς Θεὰς καὶ τὰς θεοσεβῆς ἄνδρας τε καὶ πόλεις h. e. Galilaeorum stultitia propemodum omnia euersa sunt: Deorum autem benevolentia omnes seruamur. Ergo decet Deos et pios in Deos homines et civitates colere. Verissime quidem dixit διὰ τὴν τῶν Θεῶν εὐμένειαν πάντας σωζόμεθα καὶ χρεῖνα τιμᾶν τὰς Θεὰς καὶ τὰς θεοσεβῆς ἄνδρας καὶ πόλεις. Sed διὰ τὴν Γαλιλαίων μαρίαν πάντα ἀνατραπήναι, id a veritate alienissimum est, et gentiles magis, quam Christianos habendos esse θεοσεβῆς, id vero statuere hominis est, iniquissime et imperite de religione Christiana iudicantis.

§. 4.

Clericis iudicandi et testandi adimit libertatem et ciuibus praecipit, ne ab iis se moueri patiantur ad seditionem.

α. Μὴ ἐξέσω τοῖς κληρικοῖς, ὡς πρότερον, δικάζειν, ἢ γράφειν διαθήκας, ἢ ἀλλοτρίους σφετερίζεσθαι κλήρας.

β. Ἐδοξε

β. Ἐδοξε ἔν μοι πᾶσι τοῖς δήμοις προσαγορεύσαι διὰ τῆδε διατάγματος καὶ Φανερόν καταστήσαι, μὴ συσασιάζειν τοῖς κληρικοῖς, μηδὲ ἀναπέδεδαι παρ' αὐτῶν λίθους αἶρειν, μήτε ἀπισεῖν τοῖς ἀρχεσιν. ἀλλὰ συνιέναι μὲν, ἕως ἂν ἐθέλωσιν, εὐχεσθαι δὲ, ὡς νομίζουσιν εὐχὰς περὶ ἑαυτῶν. εἰ δὲ ἀναπέδοιεν ὑπὲρ ἑαυτῶν συσασιάζειν, μηκέτι συνάδειν, ἵνα μὴ δίκην δῶσιν.

a. CLERICIS NON LICEAT AMPLIVS, VT ANTEA, IVS DICERE AVT TESTAMENTA SCRIBERE, AVT ALIENAS HEREDITATES SIBI VINDICARE.

b. PLACVIT MIHI OMNES APPELLARE CIVES HOC EDICTO ET PATEFACERE, NE CVM CLERICIS CONSPIRENT, NEVE AB IIS SIBI PATIANTVR PERSVADERI, VT LAPIDES TOLLANT, NEQVE DIFFIDERE MAGISTRATIBVS. SED CONVENIRE QVIDEM, QVAM DIV VOLVERINT, ET FACERE CONSENTYR, VT SEDITIONEM MOVEANT PRO IPSIS, NON CONSENTIRE, NE POENAS LVANT.

Vid. Iulian. Ep. LII. p. 436. d. et 437. a. b.

Τοῖς κληρικοῖς] quinam appellati fuerint clerici, optime intelligitur ex Nouella 123. c. 19. τὰς δὲ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἀναγνώστους καὶ ψαλτάς, ἕς πάντας κληρικούς καλλῆμεν. κ. τ. λ. h. e. presbyteros autem et diaconos et subdiaconos et lectores et cantores, QVOS OMNES CLERICOS APPELLAMVS etc.

Μὴ ἐξέτω — ὡς πρότερον, διαίξεν] Clericis licuisse ius dicere et testamenta condere et alia constituere, ex hac Iu-

liani epistola certo constat. Igitur eos ad hoc vsque tempus τετυραννηκέναι et δυναστείαν habuisse dicit. Hac eos a Iuliano potestate exutos esse etiam perspicitur, sed a quo hanc potestatem habuerint, nonnisi coniectura intelligi potest. Putamus autem Constantinum maxime hoc honore ornasse clericos, coniectura ducta, tum ex iis, quae Sozomenus dicit L. V. c. 5. tum potissimum ex L. I. c. 9. vbi disertè tradit, Constantinum magnum dedisse facultatem litigantibus reiciendi magistratus ciuiles et clericos appellandi, eumque iussisse ratam esse clericorum sententiam, eamque plus debere valere, quam aliorum iudicum. Adde Euseb, vit. Constant. M. L. 4. c. 27.

Ἐδοξε] Hoc edictum, quo Bostrinis atque adeo omnibus civibus praecipit, ne seditionem in gratiam clericorum moveant, neue se ab iis decipi patiantur, nullo alio consilio datum est, quam vt ciuium mentes a clericis abalienaret, et controuersiis inter vtrosque motis religioni damnum inferatur. Igitur clericos apud populum accusat (p. 436. d.) tanquam ab iis essent decepti et priuati libertate a se concessa, eosque apud se populum accusasse (p. 437. d. seq.) criminatur.

§. 5.

De Christianis ad Sacra Gentilia non cogendis, et de iis, qui sua sponte ad religionem Gentilem transeunt.

Τῶν Γαλιλαίων ἐδένα ἄκοντα πρὸς βωμὸς κελύομεν
ἐλκεῖσθαι· διαρρήθην δὲ αὐτοῖς προσαγορεύομεν,
εἴ τις ἐκὼν χερνίβων καὶ σπονδῶν ἡμῖν ἐθέλει κοινω-
νεῖν,

νέν, καθάρσια προσφέρουσαι πρώτον ἡγὶ τὰς ἀπο-
τροπαίης ἱκετεύειν θεός.

GALILAEORVM NEMINEM INVITVM AD ARAS (NO-
STRAS) TRAHI VOLVMS: IMMO DISERTE IIS DI-
CIMVS, SI QVIS VELIT LVSTRATIONVM ET LI-
BATIONVM NOSTRARVM ESSE PARTICEPS, AN-
TEA PIACVLA ADHIBERE ET DEOS AVERVNCOS
IMPLOARE.

Vid. Iulian Ep. LII. p. 436. c. 438. a. b. Sozom. L. 5. c. 5.
Baron. ad ann. 361. n. 17.

Χερίβων] χέριψ aqua, qua abluuntur manus et ipsa ab-
lutio seu purgatio. Hinc apud Schol. Apoll. Rhod. L. I,
v. 409. χέριβας· οἷς τὰς χεῖρας νίπτουσιν. Adde interpre-
tes ad Thucyd. p. 296. ed. Duckeri.

Καθάρσια] purgationes, quibus se purgabant ii, qui gra-
viter peccarant. Idem verbum habet Iulian. Orat. I. in Con-
stantium p. 39. d. ad quem locum vid. Spanhem. p. 259. 260.

Hanc legem Baronius a Iuliano statim post occupatum
imperium sancitam putat, eamque ob causam tanta lenitate
vsum esse, ne sibi, nimium fevero et contumaci, a Chri-
stianorum multitudine periculum oriretur. Vt autem de
Christianorum, ad religionem gentilem confugientium ani-
mo certus esset, et, vt iis difficilior et impeditior esset re-
ditus ad religionem veram, simul praecepit, ne, nisi antea
factis lustrationibus et placatis sibi daemonibus, sacrorum
gentilium essent participes.

DE IVDÆIS.

§. I.

De Iudaeorum tributis, precibus, et templi aedificatione.

Ἰβλιανὸς Ἰεδαίων τῷ κοινῷ.

- α. Μέλλεσαν πάλιν εἰσφορὰν κατ' αὐτῶν (Ἰεδαίων) προτάττεσθαι εἶρξεν.
- β. Πυρὶ παρέδωκε τὰ βρεβία τὰ κατ' αὐτῶν ἐν τοῖς αὐτῶ σιρηνίοις ἀποκείμενα.
- γ. Ἰβλον τὸν πατριάρχην παρήνεσε τὴν λεγομένην παρ' αὐτοῖς ἀποσολὴν κωλυθῆναι.
- δ. Εὐχὰς ποιῆσθαι κελεύει τοῖς Ἰεδαίοις ὑπὲρ ἑαυτῶ τῷ θεῷ.
- ε. Τὴν αὐτῶν πόλιν Ἰερουσαλήμ ἀνοικοδομεῖν.

IULIANVS IVDÆORVM COMMVNI.

- a. IVDÆIS TRIBVTA RVRSVS IMPERARI PROHIBVIT.
- b. BREVIA CONTRA IVDÆOS, QVAE IN EIVS SCRINIIS SERVABANTVR, COMBVSSIT.
- c. IVLVM PATRIARCHAM MONVIT, VT ITA AB EIS APPELLATVM APOSTOLATVM TOLLERET.
- d. IVDÆIS PRO SE IP SO PRAECES DEO FACERE PRAECIPIT.
- e. VT EORVM VRBS HIROSOLYMA RESTAVRETVR.

Vid.

Vid. Iulian. Ep. XXV. p. 396. d. seq. Socrat. L. III. c. 20. Sozom. L. V. c. 22. Gregor. Nazianz. p. III. b. Ammian. Marcell. L. XXIII. c. 1. et quos ibi laudat Lindenbrog. p. 271. Baron. ad ann. 363. no. 5. seq.

Τῷ κοινῷ] Commui. Ad verbum sic interpretati sumus secuti auctoritatem Ciceronis Verrin. II. c. 46. 63. vid. Burmannum ad Ovid. Metamorph. L. XII. 7.

Βρεβία] Breuia. Translatum hoc verbum ex sermone latino in Graecum notat epistolam seu libellum breuem. vid. Concil. Carthag. Can. XXXVII. p. 562. Edit. Beueregii et Balsamonem Zonaramque ad Concil. Carth. Can. XLVII. qui βρεβιον appellat, τὴν κατ' ἐπιτομὴν σύντομον γραφὴν. βρεβία (breuio) γὰρ, inquit, κατὰ Λατίνους τὸ τέμνω, καὶ βρεβία (breuitas) ἡ σύντομία. Adde Interpret. ad Flauii Vopisci Aurelian. Cap. 36.

Σκρηνίαις] Scriniiis. De Scriniiis principum vid. Salmast. ad Aelii Lampridii Alex. Seuer. cap. 31. init.

Ἰερον] Godofredus ad Cod. Theodos. L. XVI. Tit. 8. l. 14. ex Epiphania corrigit Ἰέδαν. Ipse tamen Epiphanius in hoc nomine vacillat et addit: τάχα γὰρ ἕτως ἐλέγετο.

Ἀποστολή] Apostolatum. De hac re vid. Godofred. l. c.

Iam, quid eum ad has pro Iudaeis ferendas leges impulerit, ex ipsius epistola docendum et examinandum est. Scribit autem p. 397. c. se duabus rebus potissimum motum. Primum voluit Iudaeos, a Constantio et iis, qui praecesserant, imperatoribus pressos et afflictos subleuare et reficere, ut otio accepto, tuto et secure cultui diuino vacare possent. Secundo, p. 398. a. ut restaurato templo Hierosolymitano, vna cum Iudaeis esse, et deum colere possit. Illud vtique honestissime et praeclarissime a principe dictum est, qui omnium

omnium civium curam suscipit, atque eorum nemini auxilium suum denegat. Quod autem dicit, se vna cum Iudaeis δόξαν δώσεν τῶ κρείττονι, in eo non solum repugnat ipse sibi, (vbique enim Daemonum cultum et suadet, et se ei deditum esse liberrime profitetur) sed et eius in rebus maximis, in Dei cultu et religione, summam inconstantiam et leuitatem aperit. Contemptis igitur et repudiatis vanis Iuliani rationibus, consulamus Sozomenum, qui l. c. his argumentis motum scribit Iulianum. Ἐποίη δὲ τὸτο, ἐ τὴν θεησεύαν, ὡς ἐμάζω, ἐπαινῶν ἡδεὶ γὰρ μητέρα ταύτην, ὡς εἶπεν, τῆ χειριστῶν δόγματος, καὶ προφήταις, καὶ πατριάρχαις τοῖς αὐτοῖς χρωμένην· ἀλλ' ὅτι μίσησ ἀσπόνδως πρὸς αὐτὸς εἶχον οἱ Ἰουδαῖοι· καὶ τῆ πρὸς τέττες θεησεύα λυπεῖν ἐσπέδαζεν, οἷς ἀπηχθάνετο. ἴσως δὲ καὶ πρὸς ἑλληνισμόν καὶ θυσίας ἐτοιμοτέρως αὐτὸς ἐπάγεσθαι ἤετο, πρὸς ἑπτόν μόνον ἐνδεχομένους τὰς ἱερὰς βίβλους, ἐ πρὸς θεωρίαν, ὡς οἱ χειριστῶν, καὶ αὐτῶν ἐβραίων οἱ σοφώτεροι. h. c. Id autem agebat, quantum equidem conicio, non, quod illorum probaret religionem. Eam enim matrem quodammodo Christianae religionis esse norat, quippe quae iisdem prophetis ac patriarchis utatur. Sed propterea, quod Iudaei inexpiabili odio Christianos prosequerentur. Studebat praeterea, ut Iudaeos fouendo, Christianis, quibus erat infensus, dolorem afferret. Ac fortasse eos ad gentilium superstitionem et ad sacrificia promptius allicere sperabat, quippe qui sacros libros litterali duntaxat sensu, non iuxta arcanam speculationem, ut Christiani, et ex ipsis Hebraeis sapientissimi quique, intelligerent. Nec Sozomenus aut nos, qui eius sententiam probamus, iniqui et maligni aduersus Iulianum haberi debemus. Ipse enim in sua epistola occasionem ita statuendi praebuit. Quo enim alio consilio Christianos apud Iudaeos accusat, quam ut odium inter utrosque et hostiles Iudaeorum contra Christianos conatus, et atrocitatem, superiorum imperatorum auxilio extinctam et sopitam, inimico infestoque afflatu accen-

accenderet et excitaret. Scribit enim diserte (p. 397. b.)
 καὶ τῶν μὲν (κακῶν) ἡμῖν ἔ τούτων αἴτιος κατέστη ὁ τῆς μνήμης
 ἄξιος Κωνσταντῖος ὁ ἀδελφός, ὅσοι αἱ τὴν γνάμην βιάσασθαι, καὶ
 τὴν ψυχὴν ἀθεοῖ, αἱ τὴν τέττε πρῶτες ἐξιάμενοι. Ἐ μὲν ἐγὼ
 ἐν χερσὶν ἐμαῖς λαβόμενος, εἰς βλάβην ὅσας ἄλεσα, ὡς μήτε μνή-
 μιν ἐτι φέρεσθαι, ἢ ἐπιπύε ἡμῶν πῆς αὐτῶν ἀπαλείας. h. e.
 et horum quidem (malorum) non tam vobis auctor fuit memoria
 dignus Constantius frater, quam ii, qui sunt ingenio barbari, ani-
 mo athei, qui eius mensa utebantur, quos quidem ego comprehensos
 et in foueam coniectos perdidī, ut eorum interitus apud nos nulla
 superfit memoria.

CAPVT III.

DE GENTILIVS.

§. I.

*De moribus sacerdotum gentilium, de constituendis ζενο-
 δοχείοις, de offerendis primitiis, de honore magi-
 stratibus habendo et de Pessinuntiiis.*

a. Πάντας, οἱ περὶ τὴν Γαλατίαν εἰσὶν ἱερεῖς, ἢ δυσώ-
 πισον, ἢ πείσον εἶναι σπεδαίεσ, ἢ τῆς ἱερατικῆς
 λειτουργίας ἀπόσισον, εἰ μὴ προσέχοντο μετὰ γυ-
 ναικῶν καὶ παίδων καὶ θεραπόντων τοῖς Θεοῖς, ἀλλὰ
 ἀνέχοντο τῶν οἰκετῶν ἢ υἱῶν, ἢ τῶν Γαλιλαίων γα-
 μετῶν, ἀσεβέντων μὲν εἰς τὰς Θεὰς, ἀθεοῦτητα δὲ
 θεοσεβείας προτιμώντων. Ἐπειτα παραίνεσον ἱε-
 ρέα, μήτε θεάτρῳ παραβάλλειν, μήτε ἐν καπηλείῳ
 πίνειν, ἢ τέχνης τινὸς καὶ ἐργασίας αἰσχρᾶς καὶ ἐπο-
 νειδίε

νειδισθαι προΐσαθαι. καὶ τὰς μὲν παιδομένους τίμα,
τὰς δὲ ἀπειθῆντας ἐξώθει.

β. Ξενοδοχεῖα κατ' ἐκάστην πόλιν καταστήσων πυκνά, ἵν' ἀπολαύσωσι οἱ ξένοι τῆς παρ' ἡμῶν Φιλανθρωπίας, ἔ τῶν ἡμετέρων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλων, ὅσις ἀν δεηθῆ χρημάτων.

γ. Δίδασκε συνεισφέρειν τὰς Ἑλληνικάς εἰς τὰς τοιαύτας λειτουργίας, καὶ τὰς Ἑλληνικάς κώμας ἀπάρχεσθαι τοῖς θεοῖς τῶν καρπῶν.

δ. Τὰς ἡγεμόνας ὀλιγάκις ἐπὶ τῆς οἰκίας ὄρα· τὰ πλεῖ-
σα δὲ αὐτοῖς ἐπίελλε. εἰσῆσι δὲ εἰς τὴν πόλιν ὑπαν-
τάτω μηδεὶς αὐτοῖς ἱερέων. ἀλλὰ ὅταν εἰς τὰ ἱερὰ
Φοιτῶσι τῶν Θεῶν, εἰσω τῶν προθύρων. ἡγείθω
δὲ μηδεὶς αὐτῶν εἰσω στρατιώτης. ἐπέθω δὲ ὁ βελό-
μενος. ἀμα γὰρ εἰς τὸν ἔδδὸν ἦλθε τῶ τεμένεος, καὶ
γέγονεν ἰδιώτης.

ε. Τῇ Πεοσινῶντι βοηθεῖν ἔτοιμός εἰμι, εἰ τὴν Μητέρα
τῶν Θεῶν ἴλεων καταστήσῃσι ἑαυτοῖς. ἀμελεῖντες
δὲ αὐτῆς, ἐκ ἀμεμπτοῖ μόνον, ἀλλὰ πικρὸν εἰπεῖν,
μὴ καὶ τῆς παρ' ἡμῶν ἀπολαύσωσι δυσμενείας.

a. OMNES, QUI IN GALATIA SVNT SACERDOTES,
VEL MINIS IMPELLE, VEL ARGVMENTIS MOVE,
VT SINT PROBI, AVT A MVNERE SACERDOTALI
REMOVE, NISI CVM CONIVGIBVS ET LIBERIS ET
SERVIS DEOS COLANT, SED FERANT FAMVLOS

AVT

AVT FILIOS AVT VXORES E CHRISTIANIS, QUI
 IMPII SVNT ERGA DEOS, CONTEMPTVMQVE DEO-
 RVN PIETATI PRAEFERVNT. DEINDE ADHORTA-
 RE SACERDOTES, NE THEATRA FREQVENTENT,
 AVT IN CAVPONA BIBANT, AVT ARTI LVCRQ-
 VVE TVRPI ET INFAMI OPERAM DENT. ET OBE-
 DIENTES HONORA, INOBEDIENTES EIICE.

b. DOMVS HOSPITIBVS EXCIPIENDIS APTAS IN SIN-
 GVLIS VRBIBVS CONSTITVE PLVRES, VT PERE-
 GRINI NOSTRA HVMANITATE FRVANTVR, NON
 TANTVM II QVI NOSTRAM RELIGIONEM AMPLE-
 CTVNTVR, SED ET ALII, QVI EGENT PECV-
 NIAE.

c. DOCE GENTILES CONFERRE AD HAS EROGATIO-
 NES ET PAGIS GENTILIBVS PRIMITIAS FRV-
 CTVVM OFFERRE DIIS PRAECIPE.

d. PRAESIDES RARO DOMI INVISAS: PLERVMQVE
 CVM IIS AGE PER EPISTOLAS. INTRANTIBVS IN
 VRBEM NEMO SACERDOTVM OBIAM EAT. AT
 SI ACCEDANT TEMPLA DEORVM, TANTVM INTER
 VESTIBVLA. NEMO EOS PRAECEDAT SATELLES.
 SEQVATVR AVTEM QVILIBET. SIMVL ATQVE
 ENIM PERVENERIT AD LIMEN TEMPLI, STATIM
 PRIVATVS EST.

C. PESSINVTIOS IUVARE PARATVS SVM, SI MATREM DEORVM PLACAVERT SIBI. EA AVTEM NEGLECTA, NON TANTVM NON IRREPREENSIBILE ERVNT, SED, (DVRVM QVIDEM DICERE) NE DAMNUM CAPIANT EX IRA NOSTRA (VIDEANT).

Julian. Ep. XLIX. p. 449. seq. Sozom. L. V. c. 3. L. V. c. 16. vbi haec epistola Iuliani legitur.

Huius constitutionis quinque sunt capita. Primum interdicat, ne gentilium sacerdotes habeant uxores, aut filios, aut seruos christianos, sed cum tota familia Deos gentiles colant et moribus sint honesti et probi. Magnum enim damnum accipere religionem gentilem putabat, si eius antistites artibus infamibus et turpibus rebus operam darent. Praeterea, quia sciebat magnum momentum habere familiarum et cognatorum atque imprimis foeminarum preces et persuasiones in animos hominum, ne in familiis sacerdotum gentilium essent Christiani, vetuit. Simul uxores, liberos et seruos, si essent Christiani dominorum auctoritate et iussu a religione vera abalienabat. Secundo praecepit, ut *Zevodochia* in singulis vrbibus aedificarentur. Aegre enim ferebat, si haec humanitatis laude gentiles a Christianis vincerentur, quorum religionem hac maxime de causa auctam et firmatam putabat. Ne ergo pauperes egestate coacti, deferta religione gentili, ad Christianos transfirent, eos hospitio excipere, eorumque miseriam liberalitate et publicis donis leuare et consolari voluit. Atque, vt ad haec beneficia pecunia esset parata, tertio praecepit, vt gentiles primitias offer-

offerrent, et ipse his sumptibus suppeditauit opes. Quarto, vt sacerdotibus gentilium maior esset splendor et honor, ne praefectis et magistratibus inferiores putarentur, habitum antea illis honorem et obseruantiam a sacerdotibus moderavit et imminuit. Quinto denique praemis et minis Pessuntios ad sacra et cultum Cybeles impellere iubet. Sic ergo specie honestatis, liberalitate, praemiis, minis, vi, modisque omnibus gentilem religionem augere studuit.

§. 2.

De eligendis pueris cantoribus ad sacra gentilium.

Ἐπιλεξάμενος ἐκ τῆ δῆμῃ τῶν Ἀλεξανδρέων εὖ γεγονότας μερακίστους, ἀρτάβας ἑκάστῳ κέλευσον δύο τῆ μινὸς χορηγεῖσθαι. Ἐλαιον τε ἐπ' αὐτῶ, καὶ σῖτον, καὶ οἶνον. Ἐδῆτα δὲ παρέξῃσιν οἱ τῆ ταμίει προεσώτες. Ἔτοι δὲ τέως ἐκ Φωνῆς καταλεγέσθωσαν.

ELIGE EX POPULO ALEXANDRINO IUVENES NOBILES
ET CVIQUE EORVM DVAS ARTABAS SINGVLIS MEN-
SIBVS DARI IUBE: PRAETEREA OLEV M ET FRV-
MENTVM ET VINVM. VESTES AVTEM PRAEFECTI
AERARII SVPPEDITABVNT. ELIGANTVR AVTEM
MAXIME EX VOCE.

Vid. Iul. Ep. LVI. p. 442.

C 3

Ἀρτά-



'Αρτάβας] ἀρτάβη est genus mensuræ Persarum et Aegyptiorum, facitque modios viginti. vid. Wesseling. ad Diod. Sic. XX, 96.

Haec constitutio, quae splendorem spectat religionis gentilis, non est magni momenti. Praecipit, ut eligantur iuvenes ad cantiones sacras, iisque proponit praemia.

Haec interea sufficiant. Reliquas leges et constitutiones, quae singulas vrbes et homines spectant, de quibus tamen nos exposituros esse, in praefatione etiam diximus, alio tempore occasionem nacti, adiciemus.



DOCTIS-

DOCTISSIMO
ATQVE
ORNATISSIMO DEFENSORI
S. P. D.
P R A E S E S.

Diu equidem occasionem atque oportu-
num tempus expectavi et optavi,
quo mihi liceret, quanti TE ja-
ciam, quoue sim erga TE animo, aperire et
coram omnibus palamque profiteri. Ex eo enim
tempore, quo TV mihi primum innotuisti,
coepi TE amare, et ingenium, studia, mo-
resque TVOS magnopere probavi. Sed, cum
in familiari consuetudine amicum laudare, vanum
sit et morum seueritati repugnans; praeterea
speciem quandam adulationis habeat et auribus
modestis

modestis molestum sit: Ad hoc usque tempus
me abstinui, quo, ne iniquus et malignus erga
TE, aut certe parum studiosus TVI videar,
nec officium, nec meus erga TE amor TVAS
virtutes silentio premi patitur. Quomodo enim
ei, qui summa alacritate, maximo studio et
constantia, ut propositam ingenio et virtuti lau-
dem et scopum attingeret, magnis properavit
gradibus, postquam, quo debuit, pervenerit,
approbationem et applausum denegare, quis susti-
neat? Quare hoc a TE laudabiliter confecto
cursu, TIBI applaudo ac congratulor, et, ut
praemia virtutis et indefessi litterarum studii
industriæque TVAE magna et multa reportes,
inque eorum diuturno usu et possessione sis bea-
tus, ex animo opto, meque TVAE amicitiae
trado et commendo.

Scripti Lipsiae d. ix. April. CIOIOCCCLXXI.



ULB Halle

3

008 558 760



1078






9185

1771, 38

COMMENTATIONVM
 AD
 CONSTITVTIONES IVLIANI IMP.
 SPECIMEN I.



QVOD
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
 PRAESIDE
 CHRISTIANO GOTTLOB EINERTO
 IURISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE
 DOCTORE

FR

